



**R**HODOLPHUS filius fuit Alberti comitis Hab-  
spurgensis, qui Friderici primi castra in Asiam  
secutus, ad Accaron mortuus & sepultus est. & L-  
thæ comitissæ à Pfullendorff & Bregantia. Na-  
tus est quinto calend. Maij, anno salutis millesimo  
ducentesimo decimo octavo, eo die quo Berthol-  
dus dux Zeringensis ultimus ē uiuis excessit. Hūc  
Fridericus secundus lustralibus undis expiatū ex-  
tulit, anno regni sui sexto. Ab eo etiam post pueri-  
tiā enutritus, omnibus futuræ bonæ indolis ma-  
ximā spem dedit. Erat enim moribus ingenuis, &  
omnis generis uirtutibus præditus. Forma præ-  
rea decora, & quadrata statura, capite nō magno,  
crinibus rarīs, naſo aquilino (omnibus huius familię peculiari indice) cibi po-  
tus q̄ temperatissimi. Pietate etiam tanta præditus, ut rem diuinam omnibus  
alijs negotijs præferret. Cum autem is solam Ergouiam cum arce auita gene-  
ris Habsburgi possideret, atq̄ reliquæ ditiones Habsburgenses patruis & co-  
gnatis ipsius cederent, ac etiam ipse fratri Alberto (antequam Parmę in capti-  
uitate moreretur) annuam pecuniam de Ergouia numerare cogeretur, fortu-  
næ iniuria compulsus, animum ad rem militarem adiecit, ad quam natura pro-  
pensus ferebatur. Sumpto itaq̄ auspicio à peregrinatione in terram sanctam,  
cui tum fere pia Germanorum nobilitas insistebat, præclara facinora ibidem  
edidit, ac tandem in columis in patriam reuersus est.